

Par. 2. 1. 2. 3.



Pri. 45. num. 20.

15

1771

5

6

DISSE^TRATI^O HISTORICO-POLITICA
DE
O P I F I C I O R V M
IGNOBILITATE INANI
ET NOXIA

P. 266.

QVAM
EX DECRETO AMPLISS. ORDIN. PHILOSOPHOR.
PRO OBTINENDIS SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

P R A E S I D E
CHRIST. ADOLPHO KLOTZIO

CONSIL. REG. INTIMO PHILOS. ET ELOQV. PROFESSORE

DIE ~~XXV~~ SEPT. A. C. c^o I^o c^o CLXXI.

DEFENDET
IMMANVEL CAROL. HENRICVS BOERNER
MARTISBURGENSIS SAXO.

H A L A E
LITTERIS HVNDTIANIS.



DISSESSATI^O HISTORICO-POLITIC^A

DE

OF PREGIOLAM
IGENOBILITAT^E INIANI
LITONIAE

ET CAV

EX TECRETO AMPHIS-ORDIN PHILOSOPHOR

THO/ ODTINERIS SIV/ES IN HISTORIA HONORUM

PRAEFACTIO

CHRIST. ADOLPH. KROTON

CONSP. M. E. ILLINO. PHILIC. ET STOCA. PROTASSOR

DISMACHSCHL. V. G. ODISCETZ

DISTINCTIONE

WILHELM. CAROL. HELMICH. FORTNER

MATHIASARGENSIS 2820.

ЗАЯН

ПИТЕРСОНДАЙЛАНД

V I R O
ILLVSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO
LIBERO BARONI
C A R O L O A B R A H A M O
DE Z E D L I T Z,

STATVS ET IVSTITIAE MINISTRO ACTVALI INTIMO,
SVPREMI SENATVS ECCLESIASTICI PRAESIDI, REGIARVM
VNIVERSITATVM CVRATORI, DYNASTAE IN
KAPPSDORF ET MICHELWITZ ETC.

PRIMITIAS ACADEMICAS ANIMO DEVOTO

D. D. D.

IMMANVEL CAROLVS HENRICVS BOERNER.

U R O
HILDEBRANDI RECENSIMENTIS
MIRABO DAKOM
CRODO ARRANHO
de TARDITZ

EGERTONI LACHTA MUNSTERI ACTAVIA INTIMO
SALVATORIS MUNERIS DECETRISTICITATIBUS REVERUM
MAGIAKESITATAM CAVATORI HYMNSATI IN
MELBOURG ET MICHENWITZ sic.

IMMANUEL CRODAS HENRICAS GEORWIC
SALVATORIS MUNERIS DECETRISTICITATIBUS REVERUM
MAGIAKESITATAM CAVATORI HYMNSATI IN
MELBOURG ET MICHENWITZ sic.

hilou illi amissione commisso
o ut oculi illi exponerentur.
num corpori suorum operari
M. quibusque auxiliis resur
Inter tot laetas piasque animi deuo-
ti testificationes, quas, recreata tvo,
Vir Illustrissime, adspectu, Fridericia-
na edere gestit, dabis etiam aliquem
locum meae pietati, te veneranti,
venerationisque huius testimonium
edere cupienti. Pro tvo enim erga
litteras omnes fauore, pro tvo, quo
exsultat et gaudet Fridericiana, pa-
trocinio, quod indulges nobis, non

a 3

con-

contemnes qualescumque studii nostri
fructus. Eos sacros esse iubeo tvo
illusterrimo Nomi. Neque enim
nomen auspicatius, splendidius, Mu-
sis nostris charius huic libello praefige-
re possum. Hic vero non solum animi
pii testimonium exhibeat, sed preces
quoque preferat, quasi pro tua, Do-
mine, incolumente ad Deum dum fa-
cio, quid facio aliud, quam quod rei-
publicae, quod litteris, quod Vniuer-
sitati nostrarae debedo? Nam harum sa-
lus tvo spiritu continetur.

§. 1.



§. 1.
uemadmodum corporis humani nullum membrum adeo vile et contemibile est, ut illi nullus honos haberi, nulla cura illud dignum existimari debat, sic nec eorum, ut ita dicam membrorum, quibus ciuitatis corpus componitur, aliquod contemendum omnino est. Nam ut ea omnia ad corporis humani salutem conspirant, nec, nisi singulis bene est, totum corpus se bene habet, sic ciuitati quoque, cuius membra omnia publicam salutem alere atque iuuare conantur, non poterit non ille quorundam contenus varia damna adferre. Quisque suam quasi symbolam ad commune bonum stabiliendum confert. Nonne igitur cu-

A

ius-



iusque beneficium agnosci debet grato animo? Nonne cuiusque studium cum colendum tum excitandum est? Sed contra plerumque accidit. Non loquar de Muisis, quae, licet forores sint, tamen non semel de principatu inter se contenderunt. Qui coeli commercia iactabant, poëtae, omnibus reliquis sese superiores existimabant. Versuum vero condendorum artificem quoties philosophi contempsere, irrisi ipsi, tanquam barbari ab oratore! Sed de his litibus nihil dicam. Reipublicae dissidia videamus. Quis non recordatur summum contemptum, quo patrum memoria opifia quaedam premebantur? Erant vero illa opifia nefaria; non carere poterat commode eorum ministerio genus humanum. Tamen censebantur vilia, inhonesta, ignobilia. Qui eiusmodi vitae genus amplexus fuerat, laborabat macula quadam turpitudinis, licet nil faceret, quod abhorrebat ab honesti viri et boni ciuiis virtutibus. Alii variis modis contemptum, quo illum prosequebantur, praeferebant. Cuius quidem dementiae documenta exstant non pauca. Quorum quidem non nulla nos recensebimus, ita, ut quam sine causa opifia quaedam contemnatur, deinde ostendamus. Relinquimus, ut par est, ICtis ea, quae ad illorum munera pertinent, adeoque, si legum quarundam verba adferamus, non, tamquam ICti, hac auctoritate vietur, sed narrabimus, ut historici, ea, quae facta atque edicta fuerunt. Dabimus vero tantum partem maioris operis, in quo copiosius hoc argumentum a nobis explicabitur.

§. 2. minor. de eiusdem

Iam quis credat opificiorum contemptum ea in Republica viguisse, quae vulgo exemplum perfectissimae praestantissemisque legibus optime munitae habetur? Loquor de Republica Romana. Οὐδεὶς γὰρ ἐξῆν Παμείον εἴτε κάπιλον οὐτε χερέχυνη

est ex vi Bius ex*ges.* Nulli enim ciui Romano aut cauponari aut arte manuaria vitudum quaerere licebat; ut ait Dionysius Hal. (a). Romani vero semper opificum artificumque operam manuariam illiberalem iudicasse et sordidam constat. Id quod argumentis non obscuris praeter alios ostendit Carolus Sigonius (b). Romulus auctor Reip. nullum locum reliquit artibus inter ciues, potentiae bellicae vnicce studiosus. Numa opifices in certa collegia descriptis, cum acrem bellandi cupiditatem paullatim lenire vellet. Cuius instituta sustulisse videtur Tullius Hostilius, armorum studiosus, restituit Servius Tullius, iterumque opprescit Tarquinius Superbus. Primitis Reip. temporibus nulla fuerunt collegia. Postea in usum reuocata sunt a Decemviris; vt, quem fecuti sumus in hac narratione, scriptorum antiquorum idoneis testimoniis usus, docuit Io. Gottlieb Heiniccius, Fridericianae olim decus et amor (c). Hic etiam fata collegiorum, quae sequentibus temporibus fuerint, enarrat. Omnia vero si consideraueris, si etiam quibusdam, hoc postulantibus, (d) dederis, ciues Romanos sordidas artes non repudiassē, si largitus fueris, illos ad suffragia et ad honores fuisse admissos, intelliges tamen, artes illas existimatās fuisse illiberales. Clare hoc testatur locus Ciceronis (d): *Illiberales et sordidi quaestus mercenariorum, quorum opera, non quorum artes emuntur. Est enim in illis ipsa merces auctoramentum servitutis. Sordidi etiam putantur, qui mercantur a mercatoribus, ut statim vendant.* Opifices quoque omnes in sordida arte versantur, nec vero quicquam ingenuum potest habere officina; minime artes probandae,

A 2

dae,

(a) Antiqu. Rom. L. IX. p. 583.

(b) de antiquo iure ciuium Romanorum L. II. c. 12. p. 96. ed. Hanou. a. 1609.

(c) de collegiis et corporibus opificum. Halae 1723. c. 1.

(d) v. Bodinum *de Republ.* L. III. p. 357.

(d) de offic. I. 42.



dae, quae sunt ministrae voluptatum, cetarii, lanii, coqui, pescatores, ut ait Tereutius; adde his, si placet, vnguentarios, saltatores rotumque ludum talarium.

Quo in loco desiderare mihi iure videor Ciceronis acumen. Recedere vero ille debebat a vulgari errore, et, ut dicit philosophum, rem ipsam examinare. Nam quod quasdam artes dicit voluptibus inseruire, hoc non artium, sed hominum culpa fieri, cogitare debebat. Cetarii et lanii comparant et praebent, quae necessitas postular; occurrunt fami, inseruiunt naturae. Cur tu gulae indulges? Cur ministros voluptatis eos habere vis, qui illa tantum offerunt, quibus dolet natura negatis. Officina vero quomodo nihil ingenium habere potest? Modo habitet in officina prebitas, habitet assiditas, atque inter reliquas boni viri virtutes honestas ibi sedem collocet. Et nonne ex officina prodiit mortalium omnium maxime ingenuus? Socratem enim statuariae operam dedisse nouimus. Nec profecto veriore argu-
mento adductus Romulus seruis vnicce exercendas permisit artes sellularias, si Dionysio Halicarnasseo fides habenda est. Επιδίοις μὲν καὶ Βεναύστους καὶ προσαγαγόμενοι ἐπιθυμῶν εἰσχρῶν τέχνης, ὡς αὐθιζόστας καὶ λυμανομένας τὰ τε σώματα καὶ τὰς ψυχὰς τῶν μετάχειριζομένων δέλοις καὶ ξένοις ἐπέδωκε μεθόδευεν. Sellularias et sordidas et tenebris cupiditatum incitatries artes, ut corporibus et animis trahantium noxias et pestiferas, seruis et exteris exercendas tradidit (e).

Sed cur ita sentirent Romani, verae causae non obscurae sunt. Romae duplici virtute dignitas comparabatur, siue rei bellicae, siue ciuilis prudentiae laude, cui eloquentia socia aderat et comes *). Neutrius colligendae potestas copiaque aderat opificibus, intentis operi suo. Vnde etiam

Liuus

(e) Antiq. Rom. L. II. p. 93.

*) v. Cicer. or. pro Murena c. 14.

Liuīus tanquam rem nouam inauditamque commemorat, opifices ad arma vocatos esse. *Quin opificum quoque vulgus et sellularii, minime militiae idonum genus, exciti dicuntur (f).* Praeterea seruorum incredibilis multitudo in Latio sufficere videbatur artibus sellulariis exercendis. His igitur cum abundarent, minus compellebantur ipsi ad ea agenda, quae sua maiestate indigna censerent, quaeque relinquabant iis, quos viliores existimabant.

Haec vero opinio de artificum sordibus parum profuit ingenii Romanorum. Hinc enim factum est, ut pictores, statuarii, reliquosque artifices fere e Graecia arcesserent, nihilque proferrent ipsi, quod cum Graecorum monimentis conferri posset. Iacebat honos pictoris Romae, licet illius opera laudarentur. Iacebat honos sculpturae, cuius monumenta insano prelio emebant, adeoque, quibus artes excitantur, praemia aberant. Quae quidem cum longe se aliter apud Graecos haberent, licet ii non omnia opificia eodem loco haberent, *) quid mirum est, adeo effloruisse artes apud illos, ut, qui posthac excellerent iis, ita laudarentur, ut proxime ab iis abesse dicerentur (g)?

Quae quidem licet ita sint, exstat tamen, si ad sequiora tempora progredimur, lex memorabilis Honorii et Theodosii (h), quae meliorem fuisse artificum conditionem

A 3


indi-

(f) Liuīus VIII. 20.

*) v. Aristot. *Polit.* L. III. p. 307.

(g) v. Comes de Caylus *de l'amour de beaux arts et de l'extrême considération, que les Grecs avoient pour ceux qui les cultivoient avec succès: dans les Mémoires de littérature Tom. XXI. p. 174. seq. er V. Cl. Klotzii Beytrag zur Geschichte des Geschmacks und der Kunst aus Minzen p. 106. seq.*

(h) lex un. Cod. Theod. de comitibus ordinis primi artium diuersarum.



indicare videtur. Eam adscribamus: *Hi quos aut vulgaris artis ciuiilibet obsequium, aut operis publici cura temporalis iniuncta, aut rerum publicarum procuratio leuis commissa, adeo commendari, ut Comitium primi ordinis dignitate donentur, sciant, se inter eos, qui consulares fuerint amoto officio quod suscepserant nominandor etc.* Nonne haec lex indicat, artificibus quoque vulgaris artis comitiuam primi ordinis pro praemio delatam esse? Gothofredo quidem in mentem venit coniectura, quae prima specie non displiceret. *HAUD vulgi art. coniicit.* Sed mox, quia sequentia aduersari videatur, aut reta inendum esse censer, atque docet exemplis, Mechanicis contigisse honorem comitiuae. Atque etiam posteriores Imperatores multa permiserunt collegiis, quibus priores Imperatores non fauebant. Cuius rei causam dat Heineccius satis probabilem (i).

Mittamus Romanos, et accedamus ad nostram Germaniam. In vniuersum de opificiis bene dissenserunt maiores nostri a Romanis, licer antiquissimi Germani etiam seruis relinquenter opificia; id quod colligitur e loco Taciti (k) *Seruos praeter modum frumenti et pecoris etiam vestes dominis praefuisse.* Sed de ista aetate non loquimur. Quid vero sequiori aeuo iudicauerint de opificiis Germani, narrare iuuat verbis viri olim summi. „Germanico iure, inquit Io. Pet. de Ludewig (l), opificum collegia honorifica. *Ehrbaren Zünften und Handwerker,* donataque gradu quodam dignitatis. Vnde nomen der geschenkten Handwerker. Hinc prae aliis ciuibus habent

(i) de colleg. et corp. opif. p. 49.

(k) de moribus Germanor. cap. 25.


(l) Differentiae iuris Romani et Germanici in opifice exule in pagis. Halae 1724. p. 32. Adde eiusdem *Erläuterung der Reichssetzung von 16. Aug. 1731. gegen die Misbrüche bey den Handwercken (in Gelehrten Anzeigen Part. I.)* p. 554.

bent praecedentiam et ~~magistrorum~~; audiunt magistri, tyrones,
 candidati, initianturque ordine ac ritu singulari. Habiles
 sunt ad capessenda munera iudicum, magistratum atque of-
 ficialium generis cuiuscunque. Arcent eliciuntque e suo
 consortio seruos, homines infames, notatos macula leuis
 notae: adfectos iniuria et quae dedecris notae generis eius-
 dem etc., „Attramen maiorum aetate quaedam opifia parum
 honoristica vulgo fuerunt. Liceat in vniuersum monere, admo-
 dum acerbos fuisse maiores nostros, viros bonos et pro-
 bos, sed hac parte, iterum dico, acerbiores, tot hominibus
 motis e societate hominum adspersisque macula. Illa certe an-
 tiqua proscriptionis tabula exhibet lictores, castratores
 suum, vespillones, caupones, buccinatores, publicanos
 numularios, tibicines, muliones, equisones, baiulos, opi-
 liones, alios(m). Sed de his non agimus hoc loco. De opi-
 ficiis loquimur. Macula vero eadem de honestauerunt pisto-
 res, lanios, coquos, pistores, fabros, carpentarios, sartores, textu-
 res, tonsores, balneatores, moltores, fullones(n). Bone Deus
 quanta turba proscripta fuit ex honestiorum hominum socie-
 tate! Et quomodo factum est, ut maiores nostri in hanc sen-
 tentiam, tam iniquam, tam asperam descenderent? Putant
 vero viri docti, in quibus Heineccius noster est, qui pro hu-
 manitate, quae in eo fuit, summa et aequitate animi, quam
 mitissime de his rebus iudicauit, hanc opinionem inde or-
 tam fuisse, quia non omnes statim artes, non omnia opifia
 in Germaniae urbibus in certas tribus vel corpora coaluerint:
 multas artes omnibus patuisse: hinc ergo sola, quae in cor-
 pora coaluerint, opifia honesta audiuisse, reliqua leui quadam

nota

(m) v. Noldum *de statu nobilit. ciu.* cap. XVII. thes. 62.

(n) v. Io. Gottl. Heinecii dis*ser. de leuis notae macula* ad leg. XXVII.
 Cod. de inoffic. Test. (Halae 1720) p. 51. seq.



nota insignita fuisse. „Causam tanti, inquit alio loco (o) contentus alii aliam comminiscuntur, sed plerumque parum sufficientem. Non omnes hi opifices in re vili ac abiecta versantur, non omnes fundunt sanguinem, non omnes furti aliisque criminis suspecti sunt. Genuinam ergo rationem eam fuisse suspicor, quod haec opificia olim suis collegiis non gaudent, sed unus quisque, cui esset artis fiducia ea licite exerceret. Ergo et in pagis quilibet tale vitae sibi genus eligere suo arbitrio, sequit ad eius qui in ea professione exercitatus erat, disciplinam applicare iure poterat. Quumque ergo inde sequeretur, ut, qui haec opificia exercerent, non omnes essent ingenui, merito eorum filios adspersari sibi visi sunt tribules in urbibus.“ Immo addit non aliam exco gitari posse rationem, quam quod synonyma Germanis habita fuerint *Ehrliche Handwerke* et *Zünftige Handwerke*, siliique eorum opificium, qui in collegia vel corpora non coauerint ob originem suspecti visi. In qua sententia est etiam Io. Pet. de Ludewig (p) qui inde opificiis certis labeculam adhaesisse scribit, quia inter seruos remanserint opifices rur, compulsi fere sui opificii ratione, ut molitores, textores, tonsores.

Aliam causam edidit Adrianus Beierus (q), eamque a paucitate quorundam opificium, quae fuerit olim in urbibus, repetit „Dum singuli, inquit, eorum coire ob paucitatem cum homine eiusdem conditionis non possent, difficilis erat, eos vniuersos sub idem collegium congregari ob professio num diuersitatem. Quare cum nusquam inuenirent, cum quo

(o) de colleg. et corp. opif. p. 62.

(p) *Gelehrte Anzeigen* Part. I. p. 562.

(q) in libro, qui inscribitur *Tyro; prudentiae iuris opificiarie praecursorum emissarius.* (lenae 1683) p. 65.

* * *

quo sociari possent, cooperunt sperni, iacta in eos dictoria,
excogitatae cantilenae, et quicquid libuit perulanti multitudi-
ni. Deerat titulus; non videbantur honesti: deerat ius;
non erant collegati; deerat et auxilium: in illa seculi barba-
rie non integrum semper fuit magistratui, propter seditionis
frequentiam, statuere, quod vellet aut iustum esset.
Quod ad certa opificia attinet, ea in contemnum adduxerunt
vel mali multorum mores (r), vel sordes, quae iis adhae-
rere credebantur, vel aliae causae (s).

Hunc vero contemnum sane variis modis experieban-
tur opifices. Ex antiquiore scriptore ostendit Philip Lu-
dou. Huth (t), molitorum filios ab Ecclesiasticorum officio-
rum honoribus olim fuisse exclusos. In primis vero non
admittebantur horum opificum filii ad alia opificia; repu-
diabantur quasi indigni, qui aliud ex honestius vita genus
inirent (u). Vnde etiam iis, qui opificia talia amplecti vole-
bant, documentis ostendendum erat, se non natos esse iis
parentibus, qui reiicerentur. Hinc in eiusmodi litteris scri-
ptum fuit aliquando: *Sa ist N. nicht eines Baders, Schäfers,
Spielmanns, Pfeifers, Zöllners oder Müllers Sohn, oder sonst eines
Admannes Kind, das zu ehrlichen Handwerkern nicht zuzulassen* (w).

Eius-

(r) de molitore confer Io. Frid. Eisenhardti *Recht der Sprüch-
wörter* p. 87.

(s) v. c. cur balneatores contemti fuerint disputat Christ. Wild-
vogel *de balneis et balnearioribus* (Ienae 1708) p. 120.

(t) de his, qui notantur infamia (Altiorum 1720) p. 36.

(u) cf. Io. Strauch. *de iure collegiorum opificum.* (Ienae 1669) §. 54.
et Georg. Beyeri *Specim. Iur. Germ.* p. 79.

(w) v. Adr. Beierum *de origine, speciebus et interpretatione iu-
ris opificiarum.* p. 147.

B



Eiusmodi litteras memini quoque me legere in Haltausiano Glossario sub. verb. *furspecher*: Sed liber hoc sribenti non adest. Quare has adferre nequeo.

Cum vero, vt paullo post dicemus, nihil hoc contemtu opificiorum non modo leuius, sed etiam perniciosius cogitari possit, huic quoque opinioni pestiferae obuiam iuerunt summi principes. Sic enim Carolus V. edixit (x): *als auch an etlichen Orten der Gebrauch ist, das die Leinweber, Barbierer, Schäfer, Müller und dergleichen Handwerker in den Zünften zu andern, den ihrer Eltern Handweke, nicht aufgenommen noch gezogen werden, und aber ja unbillig, das diejenigen, so einer ehrlichen Herkommen, Handels und Wsens, ausgeschlossen werden sollen, so wollen wir solche beschwerliche Gebräuche und Gewohnheiten birmitt aufgebebt und vernichtict haben; setzen, ordnen und wollen wir dennach, dass die Leinweber, Barbierer, Schäfer, Müller, Zöllner, Pfeifer, Trommeter, Bader, und die, deren Eltern, davon sie gebohren sind, und ihre Kinder, so sie sich ehrlich und wohlgehalten haben, binfjthro in Zünften, Aempten und Gilden keineswegs ausgeschlossen, sondern wie andre redliche Handwerker aufgenommen und dazu gezogen werden sollen.*

Quae quidem verba omnia repertit Imperator Rudolphus II. (y), arque haec sententia iterum in medium prolatafuit, cum ageretur in comitiis de abolendis his aliisque, quae censerentur iure noxia et mala (z).

Deni-

(x) *Reformation guter Policy*. Augspurg 1548. §. XXXVII.

(y) *Policeyordnung zu Franckfurth a. 1577*. §. XXXVIII.

(z) *Verschiedenliche — Äela comitalia welche, Puncto derer Handwerks-Missbräuche in den Jahren 1672. 1680. 1681. auf dem Reichstage zu Regenspurg vorkommen und beliebet bey Gelegenheit dermalen wieder vorkommenden Affairen aber in die- sem*

* * *

Denique a. 1731. in concluso imperii, de tollendis opificum abusibus (a): demnach und allbereit in der P. O. de 1548. 1577. verfeben — als hat es dabei sein bestes bewenden und sollen berührte Constitutionen: künft ich durchgängig genau befolgt, nicht weniger auch die Kinder der Gerichts- und Stadtknechte wie auch der Gerichts- Frohn- Thurm- Holz- und Feldbürger, Tödtengräber, Nachtwächter, Bettelvögte, Gassenkehrer, Bachfänger, Schäfer und dergleichen, in Summa keine Profession und Handhierung, dann blos die Schinder allein, bis auf deren zweite Generation, in sofern allenfalls die erstere eine andere ehrliche Lebensart erwähler und darin ne mit den iibrigen wenigstens 30 Jahr continuiret hätten, ausgenommen, verstanden und bei den Handwerkern ohne Weigerung zuge lassen werden.

Vnde dicit Vir ill. Io. Henr. Christ. de Selchow (b), dubium non esse, quin omnes et singuli opifices et artifices, qui quoconque licto modo rei familiari student, ab omni omnino cum infamia, rum leuis notae macula, his ipsis legibus plane liberentur.

Quod ad balneatores attinet, illorum honestati iam imperator Wenceslaus a. 1406. prospexit (c), id quod aiunt quidam, nescio an vere, imperatorem ideo fecisse, ut gratiam referret ancillae, in balneis suam operam quae elocauerat, et Wenceslaum a custodibus scapha abduxerat (d).

B 2

At-

sem 1726ten Jahre auf neue durch den Druk public gemacht worden. (Exstant in Fabri Staatskanzley Part. XLIX.) n. 11. p. 614.

- (a) In Schmaußii corp. iur. Publ. p. 1377.
- (b) Selecta capita doctrinae de infamia p. 57. (Goerting. a. 1770.)
- (c) Goldast Reichssatzung. T. II. p. 82.
- (d) Phil. Knipschildt Tract. de iur. et Priuileg. Ciuit. imperial. p. 1050.



Atque etiam, ut hoc addam, cum essent quaedam, quae ab opificibus nonnullis peragenda essent, quaeque facile illos in contemtum aliquem adducere possent, haec quoque sapientia principum omitti voluit. Quis enim necit, quibusdam in locis textoribus scalam ad patibulum portandam fuisse? Haec aliaque igitur noluerunt principes posthac molesta esse opificibus (e).

III.

Enarrauimus, quae acciderunt. Dicamus nunc de his sententiam nostram. Opificum igitur dicimus siue omnium contemtum, siue quorundam, esse iniquum, noxiun, reipublicae perniciosum. Cuius sententiae nostrae argumenta dum enarramus, ut supra historici munere tantum functi sumus, qui, quae gesta fuerunt, commemorat, sic etiam hoc loco nil attingemus eorum, quae ICtorum propria sunt. Nos hunc contemtum damnabimus non legum auctoritate, (nam haec pertinet ad alium ordinem) sed consideratis iis, quae honesta sint, quae aqua, quae ciuitati utilia, illius opinionis leuitatem et perniciem ostendemus.

Iam primum nolumus cum Philosophis ostendere vanitatem eorum, qui nobilitatem huic tribuant, illi negant, nulla idonea causa adducti. Non habet nunc, licet haec disputatio nostro quoque arguento inseruat, pingere leuitatem humanae gloriae vniuersae, cuius comparandae ne digitum quidem porrigendum esse dicebant philosophi olim duo non stultissimi (f). Montanus noster eiusmodi disputationem desiderantibus iam satisfecit (g). At nonne, quaeremus, iniquum est,

(e) v. V. Cl. Bergii *Policey- und Cameral-Magazin* Part. IV.
p. 294.

(f) Cic. *de Finib.* III, 17.

(g) *Essais de Montagne* L. II. c. 16.

est, contempnere eum, qui boni ciuis partibus satisfacere studet, qui leges colit, qui victum sibi ita comparare studet, ut non solum neminem laedat, sed etiam iuuet multos?

Falsus honor iuuat et mendax infamia terret

Quem nisi mendo sum et mendacem?

Qui turpitudine vitae se famamque suam commaculauere, qui se se vitis dediderunt aut malis artibus, si vero digni sunt, qui habeantur homines viles, humiles et abiecti. At quis hominem laboriosum, probum, aliis vtilem contemnit prosequatur? Quis non laude et praemiis dignum potius iudicet?

— *Non quicquid turbida Roma
Eleuet, accedar, examenque improbum in illa
Castiges trutina.*

At, inquit, sordes amant quaedam opificia, ideoque ea contemnimus. Quod dum dicunt, fere neciunt ipsis, quid dicant. Primum enim non cogitant, sine his sordibus non posse elegantiam reliquam, immo salutem obtineri. Atque ideo gratiae habendae sunt iis, qui has molestias devorant. Saepe laudare licet et admirari, si in hanc cogitationem incidimus, ingeniorum illam diversitatem miramque varierat. Hac enim sit, ut, cum multa sint nobis agenda periculosa, sordida, molesta, inueniat tamen quodque opificium suum cultorem. Agnoscimus naturae beneficium et prouidam curam. Nonne vero ingrati sumus, si eos, qui nostra causa eas molestias subeunt, quibusque adeo debemus non parum, spernimus sic, ut iis hic contemtus molestiam adferat? Sane fateor, quaedam opificia, quorum cultu mali odores diffunduntur, e media vrbe recte exulare. Largior, iis opificibus, quorum opera aduersatur nitor

B 3

et



et munditiei, quam regnare publice fas est, locum a celebritate remorum merito dandum esse. At acerbum est, ideo, quia sordida agunt, i. e. ea, quae odorem ingratum habent, quae oculis non satis iucunda sunt, quae delicatum stomachum commouent, homines ipsos considerari tanquam viles et abjectos. Has sordes nisi tolerarent, multis careret ciuitas, quibus carere omnino nequit. Ideo iis tanquam bene de ciuitate meritis honor habendus est iustus.

Immo quid? si ne intelligunt quidem, qui de sordidis opificiis loquuntur, quid sordidum dicendum sit. Iudicant de sordibus pro delicatulo suo animo, quem educatio, effoeminatum molleque viuendi genus corripit. Nam primum ii ipsi, qui istis opificiis addixere studium, non agnoscunt istas sordes, nec iis offenduntur. Nisi enim hoc labore delectarentur, aliud fuissent genus opificii amplexi. Nec pauci sunt, qui, licet non idem opificium exerceant, quod ii, tamen nec illo offendantur. Non iis sordibus adeo afficiuntur, ut ii, qui in re lautiore constituti sunt, delicate que viuunt. Videbis alium hoc, alium illud sordidum appellare, atque originem huius fastidii, tam diuersi in diuersis hominibus, plerumque repetendam esse ab educationis vitio. Sed fac quoque, esse nonnulla per se suaque natura sordida, non ii tamen ideo sperni debent, qui iis ad comoda publica viuntur.

Nam, quod in primis obseruandum est, atque ad omnia opifica pertinet, nemo opificum contemni deber, quia cuiusque opera et necessaria est, et utilis reipublicae. Si quisque ciuitatis ordo suis muneribus recte fungi debet, si, qui consilia agitant de salute publica seruanda et stabilienda, nulla re impidente, euigilare pro ciuium commodis, si qui insti-

instituendas iuuentuti operam dant, omnem in negotio hoc nobilissimo curam ponere, uno verbo, si recte quisque, quantum in se est, publica commoda augere et iuare velit, nullo negotio alio perturberet, nec longe aliis laboribus auocetur, necesse est, a munere suo. Nam tum demum partes suas bene et accurate ager. Hinc igitur pater, adesse debere, qui iis, quorum munera plane ab opificiis diversa sint, prospiciant et inseruant. Immo, cum quam optime quaeque fieri fas sit, nonne hinc, varietas et multitudo opificiorum quam necessaria sit, intelligitur? Nam multo melius, qui vni tantummodo opificio vacat, versabitur in opere suo, quam qui plura tractet. Illa vero multitudo non dissidia parere deberet; non animos opificium exacerbare inuicem atque concitare. Concordia adesse debet, et mutuum studium vigere, quo opicia omnia magis magisque perficiuntur. Est enim non solum liberalium artium, atque doctrinarum, sed illiberalium quoque, ut vulgo audiunt, artium, coniunctio, nec altera alterius auxilio carere potest. Quorsum vero haec? ut intelligatur, non solum necessaria esse opicia, sed etiam, si contemtus ille premat et oneret opicia quaedam, inter opifices ipsos sparagi semina inimiciiarum, commodis publicis noxiarum. „Artibus, inquit Boeclerus, et opificibus humana vita et ciuitas carere nequeunt (h).”

Quae tamen non eo valent, quasi omnes opifices eodem loco habendos esse velimus. Non repugno iis, qui alia opicia plus ingenii et acuminis postulare obseruant, quam alia. Quaedam solius corporis viribus efficiuntur, quaedam etiam ingenii praestantium requirunt, Immo in quibus-

(h) *Institutiones Polit.* p. 287.



busdam et subtilitas animi cernitur atque alacritas; ad nonnulla addiscenda sumtibus, itineribus, vigiliis opus est (i). Haec igitur inter opificia praemia honoris apte disperriet prudentia magistratus: quid quodque postulet videbit, et ex aequo de cuiusque decore et dignitate iudicabit. Non impedio hoc, immo laudo, modo ne contemtus inde redundet aliquis in certa opificia; modo ne honor paucorum quorundam reliquis obfit!

Atque haec, quae de necessitate opificiorum diximus, multo luculentius intelligentur, si, quam utilitatem reipublicae opificiorum cum multitudo, tum praestantia adferat, consideremus. Nisi domi nascantur, ab exteris peramus necesse est, quibus indigemus. Nonne hac via magna pecuniae copia, quam retinuisse satius sit, finibus reip. exportatur? nonne diutiae nostrae ad alios populos migrant? nonne robur regni minuitur? nonne hinc sit, vt, in dies quasi alimentis subtractis, minus vigeat et crescat corpus?

Quid? quod non potest non summum detrimentum capere regnum, quod, quae natura ipsi offert, exteris vendit, atque hinc confecta quae ab his sunt, pretio caro emit. Quo nomine Germania nostra multo magis olim, quam nunc accusanda est. Lubenter enim lanam Belgis vendebat, atque pannum ab iis emebat. Quod non potuit non perniciösissimum esse (k). Sic Lusitania, abundans lana, metallis, aliis vrensilibus, haec tamen ad alias regiones mittit,

(i) cf. Io. Gottfr. Zschackwitz *gründliche Abhandlung der vollständigen Oeconomie* etc. p. 140.

(k) cf. Marbergers *kluger Handelsmann*.

mitrit, vt inde comparentur, quae ipsa comparare possit
debetque (l).

Quare si princeps opificum studia fauore prosequitur,
illud efficiet, vt fiant, quibus ciues egeant, in patria, vt
iis conficiendis alatur magna ciuium copia, vt hinc non so-
lum maneat argenti aurique immensa copia in regno sed er-
iam augeatur ciuium numerus. Copia enim ciuium labo-
riosorum quid vtilius regno cuique cogitari possit, non
video (m). Quam tum omnia feruebunt acri studio! quam
nec villa soli particula inculta iacebit! Belgium clare suo ex-
emplo hoc testatur.

Non melius intelligi potest, quanta opificiorum flore
commoda regnum assequatur, quam si Sueciae exemplum
ante oculos ponas. Quae quantam, quaeso, pecuniae
vim, ex opificiis lanarum, linei, gossypii intra qua-
tuor annorum spatium lucrata est (n)! Illa enim summa pe-
cuniae copia nonne exportanda fuisset finibus Sueciae, nisi
adfuissent in Suecia opifices, qui his rebus conficiendis ma-
num admouerent?

Contra contempleremur Poloniā, quae sicer vendat
exteris multa, a liberalitate naturae oblata, equos, lignum,
pelles, plumas, ceram, boues, frumenta, alia, tamen vt
com-

(l) v. Schmaussii *Staat des Königreichs Portugall*, P.I. p. 425 sq.

(m) v. Io. Henr. Gottl. von Iusfi *Grundsätze der Policey-Wissen-
schaft*, cap. 4. §. 88. et cap. 9.

(n) v. V. Cl. M. E. Tozen *Gegenwärtiger Zustand von Europa*,
P.II. p. 300.



comparer artificum et opificum merces sibi, quantum nummorum erogat numerum! Nempe eget multo pluribus, ab exteris regionibus arcessendis, quam ipsa iisdem mittit. Contemplemur Hispaniam, quae profecto multum amittit ideo, quia a peregrinis plura accipit, quam iis praebet, opificiorum sedulitate destituta (o). Hispanus enim quantum gaudeat ignavia, notissimis quoque versibus narrauit poëta:

*Fufureo cum pane domi vescatur egenus,
Sordeat et vacua semper inopsque casa.
Non artem exercet, non terram fulcat aratro,
Accinctus gladio nobilis esse studet.*

Sed non tantum hoc modo augebit, qui sic agat, comoda publica, alio quoque modo regnum locupletabit. Sic enim sumus homines, sic nati, sic instituti, ut primum quaeramus, quibus opus est, mox dignitatem quoque et venustatem optemus. „Necessitas dedit, ait vir doctus (p), unde aleremur, vestiremur, muniremur: quo factum, sitim, frigus, omnemque vim aëris pellere possemus. Ecce, comitem ei se praebuit et adiunxit venustas, et eas res omnes vel figurarum colorumque suavitate, vel odoris saporisque dulcedine, vel tactus laeuitate, sensibus nostris commendauit. „ Quae cum ita sint, eorum artificum opera magis amantur, appetuntur, emuntur, quae

(o) v. *Memoires sur le Commerce d'Espagne*. passim. et *Vstariz Theorie et Pratique du commerce et de la Marine*, in primis cap. 2. et 3.

(p) v. Cl. Ernesti in *opusc. orator.* p. 13.

quae non solum ob necessitatem comparantur, sed quae etiam pulchritudinis et elegantiae laudem habent. Atque etiam ea, quae a peritis artificibus scite consciuntur, non solum a venustate commentantur, sed etiam a commodiore usui, cum nec onerent nimis nos quasique opprimant, et multo facilius celeriusque inseruant negotiis, quorum causa emuntur. Si igitur, (nam huc ut veniremus, disputauimus illa) supellecillis aliarumque rerum, quibus homines egent, varietas eleganter et commode consciatur in aliquo regno, nonne exterius ad mercem venustam allicientur? Quod dum sit, opes aliorum populorum honestissimis artibus colligimus, iisque nostras augemus. Illud sane regnum, quod non solum omnia conficit, quibus ipsum egerit, sed etiam aliis offerat et parat multa, merito florere dicitur (q). Ni adsint opifices, naturae liberalitas inutilis est, et quasi later. Non adsunt, qui diuitias naturae ut fruamur, efficiant. Opificiis praestantibus, quasi fundamentis, super adificatum est maxima ex parte felicitatis publicae aedificium.

Haec vero commoda, quorum sane est clara et luculenta magnitudo, nunquam obtinebit ea regio, in qua durum contemtu artes conslicantur. Nam primum multi ad aliud vitae genus animum appellant, atque hinc minuerunt artificum opificumque numerus. Deinde non solum paucitas haec varia alia adiuncta fibi haberet, quae flori regnorum aduersantur, sed etiam aemulationis vis et spiritus, quo animantur tabernae atque officinae feliciter, emorietur atque extinguetur. Quae si colligimus omnia, caussam assue-

C 2
mur,

(q) v. Ioh. Bernard. von Rohr *Haushaltungsbibliothek* cap. II.
von Camerae wesen p. 51 sequ.



mur, cur acutissimus Anglorum Philosophus robur et opulentiam reip. opificiis niti dixerit (r).

Quo quidem in loco dum ego versor, venit mihi in mentem illa copia hominum, qui ad litterarum studia, licet inuita Minerua, confugere quasi soleant. Laborauit maiorum aeras studiosorum eiusmodi copia multo magis etiam, quam nostra, quae fere restipscere videruntur. Tum enim, qui paulum honestiore loco sibi esse viderentur, aut qui bene numerati essent atque familiae splendorem aliquem conciliare vellent, studiosum litterarum esse iubebant filium. Credabant enim, opificia vilia esse, atque suo nomini parum honorifica. Hinc tanta inutilium hominum copia exstitit, quae verissimum fuit ciuitatum onus. Nam cum multi non ingenio valerent, nulla conspicui essent arte et doctrina, aut malis artibus munera amiebant dignioribusque ideo erant impedimento, quo minus hi reip. prodeffent, aut vitam agebant otiosam et fruges, a patre collectas, consumebant, aut mendicorum agmina augebant: uno verbo, ii, qui, si textorum, sutorum aut fabrorum officinas intrassent pueri, utilem reip. operam praestare potuissent, inutiles erant sibique et ciuitati molesti, posteaquam duo annos in Academicorum doctorum scholis hianti ore consumferant, aut somno, alea et talis perdidérant. Nemo vehementiore oratione hanc calamitatem deplorauit, quam Guili Baro de Schroedern. Illius verba scriptissimus infra, nam spirant antiquae et Germanae probitatis virum, asperum quidem monitorem, at eundem verum (s).

Equidem

(r) David Hume *Vermischte Schriften über die Handlung, die Manufäcturen etc.* P.I. n. 1.

(s) *Fürstliche Schatz- und Rentkammer* p. 302. Der zweyte Verfall ist die Verachtung der Handwerksleute in Deutschland, dass

Equidem scio, viros, rerum ciuilium prudentia summa
praeditos, opificum artificumque non eam rationem habuisse

C 3

in

dass ein jeder dintenklecker einem rechtschaffenen handwerksmann und künstler vorgezogen wird. Dahero es kommen ist,
dass die eltern nur die dummemsten ingenia auf die handwerke
schicken; wo sie aber ein wenig gute naturalia bey einem kin-
de merken, da muss es studieren, und soll ein Doctor oder
Magister aus ihm werden; als welche Herren und eure Ehren-
veft, ja wohl gar eure Excellenz mit der zeit genennet wer-
den, und obenan sitzen: bingegen ein handwerkemann heisset
meister Niclas und bleibt meister Niclas, und muss für jenen
den buch in der hand tragen, durch welches mittel es dabin
gebracht, dass fast allezeit mehr Doctores, und, salua venia,
so sich nennende gelehrte, als schuster oder Schneider an einem
ort zu finden und zu haben sind. Was ist aber der effectus von
dieser übel eingerissnen maxime? die will ich deutlich an den
tag legen: nemlich erßlich zu erlernung künstlicher manufa-
cturen, durch welche ein Land und Landesfürst reich und
mächtig werden soll, werden lauter dumme narren und och-
senköpfe gebraucht, eben ob gehörte nicht so viel oder mehr
naturell darzu, wenn einer ein handwerk recht excolliret, als
wenn er lernen sollte, wie er dermaleinsten einem bauer einen
bochzeitbrief schreiben, oder eine supplication an seinem pfle-
ger oder richter stylisiren könnte. Wie soll denn die erhebung
der manufacturen von solchen ausschüfflingen zu hoffen seyn?
Zum zweyten: wenn ein rechtschaffener kerl sein handwerk
und seine künft wohl begriffen und excolliret hat, und darne-
benst sich selbsten kennet und weis, wie hoch seines gleichen in
andern ländern ästimiret wird, siehet aber die grosse verach-
tung seiner person in seinem vaterland, so bedankt er sich für
die herberge, verlässt Deutschland, und gebet in Frankreich
oder Holland, wo er etwas geachtet wird; denn bonos alit ar-
tem: die ehre ist gleichsam die ernährerinn der künfte. Und
auf diese weise muss Deutschland des künstlers entbeben, wel-
chen



in regni felicitate stabilienda, quae ab iis exspectari poterat. Magnus ille dux Sully (r) agriculturam fere solam commendabat: huic Gallos suos operam dare iubebat: arbores planare, equorum stabula numerosa nutrire, greges magnos pascere illos cupiebat. At longe ab hac ratione recessit vir clarissimi nominis, Io. Bapr. Colbertus (u), opificiorum alienorum et excitandorum studiofissimus. Illam enim pecudum multitudinem, illam copiam vietus iudicabat non posse

chen andre länden mit begierde annehmen, und in hohen ehren halten. Ist derobalben die verachtung der handwerker eine von den größten ursachen, dass die manufacturen bis dato in Deutschland nicht haben können empor kommen: hergegen sind die länden mit einem nichtnützigen, eitemen, bösen Geistadel angefüllt, welches unter dem prätext der studien in seiner jugend ein privilegirtes, ruckloses leben führet, im alter aber sich und dem vaterlande nichts nutz, sondern höchst schädlich ist; denn die Obrigkeiten dieser gefellen personaldienste vigore der privilegien, so den studien a summa maiestate erhabt werden, im gemeinen wesen müssen beraubet seyn, und sonst sie auch dem publico nicht zuträglich, sondern bringen ihr leben mit missigang binn, welches endlich zu unterhalten sie auf allerhand partiten und betrug dem publico zum höchsten präjudiz müssen bedacht seyn, und bisweilen landesverräther, diebe und beutelschneider abgeben. Dass also über den abusum studiorum man billig ein klagelied singen sollte. Und wie an und vor sich selbst die studien gar hoch zu halten, als wäre aber auch billig nicht zu dulten, dass so indistincte ein jedweder dem studien folgen dürfe, sondern dass wißmehr die leute auf die handwerke zu weisen, damit auch die guten ingenia sich auf dieselbigen appliciren müssen.

(r) *Oeconomies d'Estat, Domestiques, politiques et militaires de Henry le Grand etc.* Vol. II. passim.

(u) *Vies des hommes illustres de la France* Tom. V. p. 249. seq.

se non tandem molestam dominis ipsis esse. Hos enim illa abundantia ipsa cogi, ut vili prelio vicinis populis ea vendant merciumque varia genera multo carius ab iis emant. Esse extruendas opificum officinas: has tanquam fontes argenti aurique considerandas esse. Quae quidem sententia viri summi quam vera fuerit, paullo post exitus docuit. Confluxit enim quasi pleno alueo incredibilis numorum copia in Galliam ex omnibus Europae regnis. Vbiique enim habere gestiebant homines, quae in Gallia venuste conficiebantur.

Neque tamen haec eo valent, quasi agriculturam negligi velimus. Immo et aratro sit suus honor, sint agro sui coloni. Cauendum est omnibus regnis ab errore Lusitaniae, quae cum olim frumento adeo abundaret, ut etiam alii regnis praeberet victum, post nauigationi et mercaturae adeo studuit, ut negligenter agriculturam, ipsaque nunc ab Anglis frumenta emat (w). Quae quidem res eo peior est in Lusitania, quam nec opificiis studere monuimus paullo ante. Media via etiam hac in re optima est et turifima. Agricultura sola non, ut nunc sunt tempora, rempubl. iuuabit: id quod praeclarissimus auctor docuit (x);

artes

(w) *Memoires Instructifs pour un Voyager* P. I. p. 193.

(x) Montesquieu de l'Esprit des Loix Liv. XXIII. chap. 15.

,*Dans nos Etats d'aujourd'hui les fonds de terre sont inégalement distribués; ils produisent plus de fruits, que ceux qui les cultivent n'en peuvent consommer; & si on y néglige les arts et qu'on ne s'attache qu'à l'agriculture, le pays ne peut être peuplé. Ceux qui cultivent, ou font cultiver, ayant de fruits de reste, rien ne les engage à travailler l'année d'ensuite: les fruits ne seraient point consommés par les gens oisifs n'auroient pas de quoi les acheter. Il faut donc, que les arts s'établissent pour que les fruits soient consommés par les bons-*



artes et opificia quasi stimulos addant agriculturae et alimenta.
De quo nemo dubitabit, qui viri summi verba, a nobis infra scripta, considerauerit. HABES igitur nouum argumentum, quo opificiis succuras.

Diximus breuiter sententiam nostram, cur contemtum artificum et opificum inanem censemus, immo cur noxiū eundem existimemus. Certum igitur est, cum vniuersa opificia ad instrumenta publicae salutis necessaria et honesta pertinere, tum omib[us] suum esse honorem, suam dignitatē: nefas esse, iniquum et temerarium, ea aut inhoneſta iudicare aut indigna ciue ingenuo: illorum vero honore atque flore iuuari et augeri commoda publica quam maxime.

bourreurs & les artisans. En un mot, ces états ont besoin que beaucoup de gens cultivent au dela de ce qui leur est nécessaire: pour cela, il faut leur donner envie d'avoir le superflu; mais il n'y a que les artisans qui le donnent.

COROLLARIA.

*Luxus ciuium salutem turbat, non promouet.
Qui per urbes vicosque curſtantes (Hausirer) mercaturae parte aliqua funguntur, tollendi ſunt.*

Régle ſentit Plato: male, inquiens, administratae reipublicae eſſe indicium, in qua multi ſint cauſarum patroni, et Medici.

Interest reipublicae, vt nemo agat mercaturam, quam qui eam profitetur.

Nulla in orbe plures eiusmodi eſſe debent opifices, quorum opera cines tantummodo indigent, quam quot vietum ſibi inde quaerere poſſunt.

CHRIST.

B. 3. v. 35

CHRIST. ADOLPH. KLOTZIVS
S. P. D.
IMMANVELI CAROLO HENRICO BOERNER.

Soleo ego inter ea, quae mibi, ex quo me ad vitam Academicam sive voluntas deduxit, sive casus abripuit, incunda acciderunt, praecipue referre illam disputationum frequentiam, quam mibi oblatam fuisse recordor. Nam plures, qui vitam Academicam iniuere, idem a me postularunt, quod tibi, Doctissime BOERNERE, iam a me praestari cupis. A me in theatrum quasi illud produci voluerunt, in quo doctrinae et ingenii documenta, ad utilitatem reipubl. et sui nominis famam, postbac edituri erant, nec plane inau- spicatum censuerunt Klo:zianum nomen, quod praeferret primum doctrinae qualiscunque specimen. Prosecutus sum omnes bonis omnibus et votis, qui enim aliter ego? cum et omnibus omnia bene et feliciter euenire cupiam, nec possum non votis excitare animos alacritatemque et spem quasi addere iis, qui Academicæ vitae suam operam addicant.

Atque

Atque TIBI, BOERNERE, eo libentius, quicquid a me gratum,
iucundum et utile profici potest, obtuli, quo studiorem te non
solum mei cognoui, sed quo plures quoque in te virtutes animaduer-
ti, quae facile meum animum tibi conciliarent. Placuit in te,
praeter rerum utilissimarum cognitionem variam, animus candidus,
probus, honestus, atque in primis illa agendi et cogitandi ratio, quam
virilem appellant. ideo credo, quia ii mores viros decent, virorum
proprii sunt, et plerorunque a iuuenium leuitate abhorrent. Hunc ani-
mum, hos mores, si, id quod te facturum esse credo, serues tibi
perpetuos, quidni sperem, te res TVAS bene acturum, teque
vitae Academicae fructus suaves degustaturum esse? Tale enim anti-
mi robur, talem severitatem mentis morumque in primis postulat il-
lud, quod eligit, vitae genus, quod quicunque molle, hilare sem-
per et deliciis affluens altis, quam quae ex recte factorum conscienc-
tia, honorumque, qui semper pauci fuerunt, virorum laude et favore
orientur, putat, nae is vehementer fallitur. Laboriosa illa vita
est, postulat vigilias et deditissimum studii animum, semperque
nos salutis publicae cum conseruandae, tum augendae et firmandae in-
tentos esse iubet. Quas partes ut recte et cum voluptate aliqua susti-
neamus, in primis opus est ea animi solida tranquillitate et honestate,
quam cum a natura tibi tributam doctrina alueris, age, bene me-
cum de it, quae post futura sint, sperare incipe. Immo faustissimum opti-
mumque omen habet ipsa illa buius, quo tu primordia honorum Aca-
demicorum capis, temporis felicitas, atque Fridericianae, praesentis-
simum litteris nostris numen venerantis coram, pia laetitia. Vale.

tu diu in tua uita uale. I. amboq; supponamq; exordi-
um q; ueroq; in aliis q; in aliis q; in aliis q; in aliis q;
in aliis q; in aliis q; in aliis q; in aliis q; in aliis q;
in aliis q; in aliis q; in aliis q; in aliis q; in aliis q;
in aliis q; in aliis q; in aliis q; in aliis q; in aliis q;

X2338867

Pri. 45. Part. 20.

CO-POLITICA

1771
6

O

I
I


EX D

PRO

CHR

CON

IMM



B.I.G.

Black

Farbkarte #13

ORVM

E INANI

IA

N. PHILOSOPHOR.

OSOPHIA HONORIBVS

E

KLOTZIO

ELOQV. PROFESSORE

1781.

RICVS BOERNER

SAXO.

E

TIANIS.

